

Heinrich Rahn    Heinrich Wittemeyer

## **Disputatio Iuridica De Tutelis**

Rostochii: Kilius, 1653

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn732600677>**


Druck    Freier  Zugang



(Schutzmaßnahme)  
Vormundschaft

H. Rahne (H. W. Menega) *Vect.*

R. U. nr. 7653.



DISPUTATIO JURIDICA  
DE

# TUTELIS,

Q V A M

Auxiliante Sacrosancta Triade,

SUB PRÆSIDIO

VIRI Amplissimi & Consultissimi

DN. HENRICI RAHNEN, J. U. D.

P. P. Ducalis Consistorii Assessoris,

Dn. Præceptoris, Fautoris ac Promotoris  
sui honorandi,

*Pro viribus & ingenii sui modulo  
defendet*

HENRICVS WITZEMENNER/

Gronov. Brunsvvic,


Die V. Novembr. in Auditorio Magno.

Non erubescamus addiscere ea, quæ ignoramus, Nov. 22. pr. in fin.  
Omnes enim adhuc discere possumus, & omne artificium recipit  
incrementum, L. 65. §. 3. de Legat. 3.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno M. DC. LIII.



VIRIS

*Generosus, Nobilissimus, maximeq; Strenuus,*

Dn. JOHAN à ROSEN / Hæred.  
in Râmin.

Dn. JOACHIM FRIDERICH à  
MOETZEN / Hæred. in Toitenwinckel &  
Wesselsdorff.

NEC NON

*Admodum Reverendo, Clarissimo, Doctissimo,*

Dn. M. N. N. DRÖSEMERE /  
apud Gronovienses Superintendenti  
dignissimo.



Dns Promotoribus, Fautoribus ac  
Mecænatibus observantissimis.

UT ET

*Prestantissimo, Humaniss: & Eruditiss.*

Dn. PAULO NAGEL / Civi Eldag.  
primario, Amico fraterno.

*In grati animi, debiti cultus ac perpetua ob-  
servantia signum Disput. hanc Jurid.  
submisit dedicans, se commendat*

HENRICUS Wittenmeyer /  
Auth. & Resp.



# Principium, medium & terminus DEUS.

Nov. 109. pr.

T H E S. I.



Materia tutelarum cum frequens sit & cognita perquam necessaria, dignam eam elaboratione judicavimus, verum cum etiam sit difficilis maxime, ac campum differendi amplissimum merito requirat; Nos non pro materiae amplitudine aut dignitate, sed pro virium modulo ac æquitate, Divini Numinis præsidio, eandem pertractabimus.

I I.

Est autem Tutela vis ac potestas (sc. quâ administratoriam vim & potestatem in tutore agibilem, in pupillo passibilem qualitatem denotat: ) in capite libero (quæ verba ut ad pupillum referamus magis est, quamvis ad tutorem etiam suo modo referri possint) ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permessa, l. 1. ff. de tutel. §. 1. Inst. eod. & qui eam vim habent, dicuntur tutores, quasi tutores §. 2. l. d. tutel. l. 1. §. 1. ff. eod.

I I I.

Tutela defertur vel testamento, vel lege immediate vel à Magistratu, hinc saliorum Dichotomiam evitantes tria tutelæ genera statuimus: Testamentariam, Legitimam & Dativam l. 52. C. de Episc. & Cleric. l. ult. C. de legit. tut. l. 13. pr. ff. de Excus. tut. tit. 14. usq. ad tit. 20. Just. lib. 1. Tutores autem honorarii & noticiæ causâ dati, novum genus non constituunt: sed ordinem administrationis demonstrant.

A 2

Testa-

I V.

Testamentariae tutelae, cujus causa efficiens est testator, ratio prima esse debet secundum ordinem ff. C. & Inst. quia quamdiu hæc speratur cessat legitima l. n. ff. de test. tut. & cessante testamentaria & legitima regulariter demum locus est tutelae dativæ arg. l. 9. qui dat. tut. vel cur. poss.

V.

Permissum itaq; parentibus, liberis suis diversi sexus impuberibus, nec modo natis, sed & nascituris, sive posthumis §. pen. l. de tutel. imo & nepotibus & neptibus, in patris sui naturalis potestatem non recasuris l. 1. §. fin. h. r. testamento (aut codicillis testamento confirmatis l. 3. de testam. tut. non etiam codicillis ab intestato aut testamento imperfecto, nisi accedat confirmatio sub. diff. 3. Aph. 9.) tutores dare §. 3. l. de tutel. l. 1. testam. tut.

V I.

Cum verò pater filiis suis, quos heredes instituit, testamento tutores dare possit, etiam in prorsus exheredatis idem obtinere jure Romanorum rectè de fendimus l. 4. l. 10. §. 2. l. 31. ff. de testam. tut. vide Brasim. Ungepaar. exercit. 4. quæst. 3. in Aio. à potestate enim patria non excluduntur, sed sui heredes manent l. ult. Unde legit. Neq; confirmatio Judicis desideranda, nisi ob exheredationem filii testamentum oppugnetur l. 26. §. fin. ff. de test. tut.

V I I.

Emancipato non item, sitamen huic de facto (:jure enim non potest) tutorem dederit confirmandus is est à Magistratu citra inquisitionem §. ult. h. r. & taliter confirmatus tutor pro testamentario potius, quam dativo est habendus l. 1. §. 1. in fin. l. 3. ff. de confir. tut. l. 32. vers. nam & Prætor. ff. de Excus. tut. l. 4. C. de tut. vel cur. qui sat. non ded. vide Schnob. diff. 15. th. 3. ad π. præsertim cum & legitimo præferatur, De mel. 3. Com. 5.

V I I I.

Mater filiis tutores dare nequit, nisi eos instituat heredes & Magistratus insuper tutores datos confirmet prævia inquisitione l. 4. ff. de test. tut. l. 69. §. 2. de Legat. 2. quæ confirmatio requiritur etiam si patronus vel quis extraneus impuberi quem heredem instituerit, tutorem dederit l. 1. §. 1. l. 4. ff. de Conf. tut.

IX. Non

I X.

Non solum aurem pater sed etiam filiusfam; testamento tutor dari potest *pr. l. Qui testam. tut. dar. poss.* quia tutela publicum & civile munus est, *pr. l. de Excus. tut. vel cur. l. 17. §. 2. ff. eod. in qua patria potestas non attenditur h. §. de his qui sui vel alieni jur. sunt. l. 2. de muner. & honor.*

X.

Servus quoq; recte datur tutor, proprius quidem etiam non appositâ libertate, directam tamen libertatem consequitur *§. i. l. Qui test. tut. dari poss. l. 32. §. 2. ff. de test. tut. l. 5. pr. vers. Cum igitur. C. de necessar. serv. hered. instit.* Alienus autem servus saltem sub hac conditione, Cum liber erit, tutor dari potest *d. §. i. l. eod.* quæ etiam puræ dationi tacite inest *l. 10. §. 4. ff. de test. tut. & prorsus valet non directo: sed per fidei commissum; Bocer. th. 18. d. Tutel.*

X I.

Pro libero reputatus, & per errorem tutor datus neq; ad tutelam neq; ad libertatem pervenit *§. i. l. quid test. tut. l. 22. ff. eod. l. 24. §. 9. de fideicom. libert.* quia errore consensui nihil magis contrarium *l. 15. de Jurisd.*

X I I.

Illi quibus administratio rerum suarum non conceditur, ad tutelam à Lege, vel Magistratu non vocantur *l. fin. C. de legit. tut.* Cum autem furiosus vel minor 25. annis tutor testamento datus fuerit, tutor tunc erit, cum furiosus compos mentis, & minor viginti quinque annis major sit factus, *§. 2. l. qui test. tut. dar. l. 10. §. 3. ff. eod.* surdus vero & mutus nec testamento, nec alio modo utiliter dantur tutores *l. 10. §. 2. de legit. tut.*

X I I I.

Testamentarius autem tutor non tantum purè; sed & sub conditione, ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel ante heredis institutionem *§. 3. l. qui test. tut. dar. poss. l. 8. §. 2. l. 11. ff. eod.* constitui potest. Secus tamen in tutela honoraria, quippe quæ actus legitimus est, neq; diem neq; conditionem recipiens *l. 77. de R. J.* nec ad legitimam pertinebit, nam & hæc ex L. 12. tab. sine die & conditione defertur agnatis.

X I V.

Principaliter quidem tuendæ personæ, non certæ rei tutor datur

A 3

§. 4.



§. 4. *Iust. qui test. fac. l. 14. ff. de test. tut.* per consequentiam tamen etiam rebus pupilli, quia harum administratio, sicuti quoddam accessorium, personam pupilli inseparabiliter sequitur *l. 21. §. 2. de Excus. tut. l. 12. §. 3. de admin. tut.* aliquando etiam ob diffusum & extra provinciam distitum patrimonium certæ rei tutor datur *l. 15. de testam. tut. l. 27. pr. de tut. & cur. dat.* aliquando ad certum actum *l. 9. d. r.* ad quem tutoris autoritas in utilis est *l. 17. §. 1. de appellat.*

XV.

Cessante tutela testamentaria, succedit legitima, quam lex citra ullum hominis factum defert successoribus proximis *pr. l. de legit agn. tut. l. 5. l. 9. ff. de legit. tut.* idq; ob hanc rationem, ut qui sperarent successionem, iidem & onus tutelæ subirent *pr. l. de legit par. tut. pr. l. de legit patron. tut. l. 1. ff. de legit. tut.* & si plures sunt ejusdem gradus proximiores successores, illi omnes pariter ad tutelam vocantur (nisi agnatio per capitis diminutionem sit sublata) *§. fin. l. de cap. dim. l. 9. ff. de legit. tut.* Quod tamen secus est in Principis Electoris Laici relicto filio primogenito, ubi defertur non ad omnes ejusdem gradus proximiores; sed ad proximum seniore, (cui ius illud nec testamento paterno auferri potest. *Schonborn. lib. 2. Pol. c. 14.*) per *A. B. Caroli IV. tit 7. vers.* ut si Principem &c. ibi enim proximus agnatus heredis Electoralis impuberis usq; ad 18. ætatis annum tutor & administrator esse jubetur. Etiam jure saxonico ad proximiorum agnatum munus tutelæ spectat *landr. lib. 1. art. 23. & Weichb. artic. 49. add Schulgen Synops. l. de legit. agi. tut. lit. 2.*

XVI.

Legitima quoq; locum habet non tantum si planè testatus non est defunctus; sed, etsi testamento condito, nulla prorsus facta sit tutoris mentio, vel si quos dedit, vivo testatore *§. l. de legit agn. tut. vel etiam post mortem testatoris, filio adhuc impubere manente, decesserint l. 6. de legit. tut.*

XVII.

Cum hodie in allodialibus æquè cognati successionem habeant, pari jure utriq; (post matrem sc. & aviam quæ si secundis nuptiis & Scto Velleiano renuncient, omnibus ex latere agnatis & cognatis præferuntur *Nov. 94. c. 2. l. 2. auth. Matri & avie. C. quando Mul. offic. tut.*) juxta gradus tamen prærogativam, ut propinquiores remotioribus præferantur

ferantur, l. 9. ff. de legit. tut. ad tutelam admittuntur Nov. us. c. 5. Jun-  
Etâ auth. Sicut. C. de legit. tut. Infeudalibus verò secus est 2. Feud. ii.  
Schräd. de Feud. p. 10. c. 19. n. 9. & seqq.

XVIII.

Patronis quoq; tutela libertorum libertarumq; per legum inter-  
pretationem committitur t. t. de legit. patr. tut. Cum & his leges eorum  
hereditates deferant t. t. de Success. libert. & exemplo patronorum,  
etiam parentibus liberorum emancipatorum tutela demandatur t. t.  
de legit. par. tul. & harum utraq; etiam dicitur legitima d. d. t. t. Est &  
tutela, quæ licet ex lege quoq; deferatur, legitima tamen non dicitur,  
quia in iis, quibus deferitur successionis emolumentum, cessat; sed pro-  
pter contractam fiduciam dicitur fiduciaria t. t. de fiduc. tutel. quæ ta-  
men hodie etiam legitima dici potest l. 4. C. de legit. tut. Nov. us.  
c. 4. & 5.

XIX.

Deficiente testamentaria tutela & legitima, locus est dativæ tute-  
læ, pr. J. de Attil. tut. & si testamentarius sub conditione aut ex die, vel  
non dum aditâ hereditate datus fuerit, vel si ab hostibus captus, hono-  
rarius tutor usq; ad conditionis eventum, vel testamentarii ab hostibus  
reversionem dari potest §. 1. & 2. h. t. non tamen sine inquisitione,  
quæ quatuor modus sit investigando sc. 1. An tutor dandus sit moribus  
honestis; 2. An locuples; 3. An seipsum voluerit ingerere. 4. An data  
pecunia ambierit l. 21. §. 5. 6. de tut. & cur. dat.

XX.

Constituitur autem à competente Magistratu, cui jure concessa  
est potestas dandi tutores. Non enim quivis Magistratus tutorem da-  
re potest; sed is, cui vel Lex, vel SCtum, vel Princeps id nominatim  
concessit, nam neq; Imperii est, neq; Jurisdictionis tutela. l. 6. §. 2. ff.  
de tutel. Hodie mutata Reip. formâ quilibet Magistratus municipalis  
& Civitatum judex indistinctè tutores dare potest, tam ex recepta con-  
suetudine, quam jure scripto, prout constitutum legitur in Ord. polit.  
Caroli V. Augustæ anno 1548. promulgata, & à Rudolph. II. Francf. anno  
1577. confirmata, rubr. Von den Pupillen vnd Minderjährigen §. So  
wollen wir/ ut nunc magis videatur Jurisdictionis esse, quam legis;  
Schulh. synops. hic lit. a.

XXI. Ut

## XXI.

Ut autem à Magistratu tutores dentur, ii peti solent *t. t. ff. C. Qui pet. tut. vel Cur.* Eos autem, quidam necesse habent petere, quidam non; sed liberum ipsis relinquitur. Ex illis alii, si non petiverint, puniuntur, *l. 2. §. 1. ff. Qui pet. tut. vel cur.* Alii à legitima pupilli hereditate arcentur *d. l. 2. §. 1. l. 2. §. 23. ad Sciam Tertull.* Liberum relinquitur amittæ *l. 5. C. qui pet. tut. patruo magno l. 10. C. d. t. & cæteris cognatis, affiribus & amicis, qui proximi hereditatis successores non sunt l. 2. ff. Qui pet. tut. vel cur.*

## XXII.

Tutores autem ii à Magistratu dari possunt, qui non prohibentur, Prohibentur autem vel ratione sexus, ut foeminae *l. ult. ff. de tutel. vel ratione ætatis, ut minores 25. annis l. ult. C. de legit. tutel. §. 13. J. de Excusat. Nov. 118. c. 5.* vel ratione morbi, ob quem minus idonei sunt, *l. 1. §. 2. 3. l. 17. ff. de tutel. vel ratione Status, veluti Servi l. 7. C. qui dar. tut. vel cur. poss.* vel ratione obligationis, ut Creditores, vel debitores pupilli *Nov. 72. Nov. 94.* Si verò dissimulatà obligatione tutelam susceperint, ille jus crediti amittit, hujus solutio, quam præterdit, nullius est momenti *d. Nov. 72. c. 1. & 4. Vid. Schnob. disp. 15. th. 9. ad x. vel ratione factæ prohibitionis à parentibus l. 21. §. 2. Qui tut. vel cur. dar. vel ratione officii, ut Episcopi & Monachi l. 52. C. de Episc. & Cler. & milites l. 4. C. Qui dar. tut. poss.* à Comilitonibus autem datus, tutor esse debet, ita ut se excusare non possit *l. 23. §. 1. ff. de Excus.*

## XXIII.

Priusquam autem administratio tutelæ suscipienda, requiritur & pupilli assecuratio, & inventarii confectio, quarum illa consistit vel in juramenti præstatione, quo sanctè promittunt se omnia facturos, quæ sunt in rem pupilli *l. 27. C. de Episc. audient. Nov. 72. c. 8.* vel in satisfactione, Rem pupilli salvam fore, interponenda *t. t. ff. Rem pup. salv. for. t. t. J. de Satisd. tut.* à qua tutores testamentarii & à iudice confirmati, vel etiam cum inquisitione dati liberantur, per *pr. J. d. t. l. 17. de testam. tut.* Hodie verò juxta Recess. Imperii de anno 1548. sub ordin. polit. tit. Von der Puppillen tutoeren &c. Omnes indistinctè idonee cavere, debent. Inventarii Confectio tam necessaria est, ut dolo malo fecisse intelligatur, qui eà prætermittà tutelam administraverit *l. 7. ff. l. 24. C. de Admin. tut. l. fin. C. arbitr. tut.*

XXIV. His

## XXIV.

His itaq; omnibus à tutoribus præstitis, ipsi tutelæ gestionem non solum suscipere possunt; sed etiam ad eam suscipiendam compelluntur §. 3. *J. de Attil. tut. l. 4. §. 3. ff. Rempub. salv. for.* & ad eos cessantes periculum tutelæ non gestæ pertinet *d. l. 4. §. 3.*

## XXV.

Administratio sive Gestio tutelæ vel pupilli personam vel Res ejus spectat. Quæ personam comprehendit Educationem ejus & Authoritatem. Educatio consistit 1. in constituenda Habitatione, apud Matrem decernenda, nisi vitricum super induxerit *l. 1. C. ubi pupill. educ.* 2. Alimenrorum erogatione, spectando modum patrimonii *l. 3. §. 1. ff. ubi pup. educ.* 3. Institutione in liberalium artium scientiis & moribus *1. 1. ff. & C. ubi pup. educ. l. 2. C. d. alim. pup. præst. l. 12. §. 3. d. adm. tut.*

## XXVI.

Autoritas tutoria est expressa approbatio negotii à pupillo cum alio gerendi, aut gesti recteq; cogniti *l. 3. 4. l. 14. ff. de Author. Suth. dis. 3. aph. 32.* quæ interponi debet in ipso negotio *§. 2. J. l. 9. §. 5. ff. eod.* vel statim perfecto negotio, non ex intervallo *l. 25. §. 4. ff. de acquir. vel omitt. hered.* & hanc præstandam necesse habent tutores, quia non tantum pupillorum negotia gerere, verum etiam ea, quæ pupilli ipsimet agunt, regere & juvare debent *arg. l. 5. d. R. J. t. t. ff. & C. de Autor. præst.*

## XXVII.

Hæc interpositio autoritatis est vel necessaria, vel non necessaria. Necessaria est si actus talis, quo pupillus suam conditionem facit, vel facere potest deteriorem *pr. J. b. t.* Si verò talis quo meliorem eam facit, rum subdistingendum, vel enim potest actus celebrari, ne obligetur pupillus, & non necessaria est tutoris autoritas *d. pr. d. t.* vel non potest celebrari, quin is obligetur, & hoc casu sine autoritate tutoris peragi nequit *§. 1. J. l. 9. §. 3. ubi Dd. eod.*

## XXVIII.

Unde sequitur iis casibus, quibus autoritas tutoris requiritur, neglectâ ea pupillum non obligari civiliter *l. 5. pr. ff. de Autor. tut. l. 43. d. O. & A.* imo nec naturaliter quidem ullo modo, si vel infans, aut infantix proximus. Proximum autem pubertati naturaliter obligari probat *l. 127. de V. O. §. 1. J. de fidejuss. l. 97. §. 4. ff. de solut.* tam efficaciter autem non obligatur, ut sibi nocere possit, *l. 29. 41. de Condict. in deb. l. 59. d. O. & A.*

B

Ex

Ex Constit. D. Pii, si factus fuerit locupletior, datur in eum actio l. 3. pr. Commod. l. 3. §. 4. de Negot. gest. l. 5. pr. h. t. quæ tamen actio non-nativa, sed dativa: Sush. diff. 3. aph. 34.

XXIX.

Administratio tutelæ, quatenus res pupilli decernit. 1. Eadem exacte conservet ab omni interitu 2. augeat, ut quæ servando servari non possunt, vendat, vel distrahat, pecunias pupilli ad honestum lucrum det, ubi mercatura exercetur, vel convertat in emptionem prædiorum, alias tenetur de suo refarcire, & potest contra eum per minorem jurari in litem. Cavalcan. n. 13. de tut. & cur.

XXX.

Hæc administratio competit vel uni, vel pluribus. Univel voluntate testatoris: uti enim in aliis, ita & hic voluntas ejus servanda, quam tamen Prætor confirmare debet l. 3. §. 1. de adm. & peric. tut. Prætori tamen interdum à voluntate testatoris recedere licet, l. 4. ff. de testam. tut. l. 5. §. 9. de Admin. tut. vel ex consensu contutorum l. 3. §. 7. eod. §. 7. de satisd. tut. vel cur. vel ex decreto Prætoris, si inter sese dissenserint tutores in eligendo d. §. 1. & d. l. 3. §. 7. de Administ. tut. Aliàs si omnes velint administrare, Prætor id permittat l. 3. §. 8. eod.

XXXI.

Si verò omnes gerunt, tunc gerunt aut pro indiviso, aut divisos Gerentes pro indiviso, onus periculumq; tutelæ pariter sustinent l. 2. C. de divid. tut. & quod per unum bona fide gestum, id cæteri ratum habeant l. 3. pr. de Adm. tut. Si pro diviso gerunt, tum vel voluntate testatoris, vel arbitrio judicis; & hoc casu unusquisq; pro sua administratione conveniri potest, periculum invicem tutoribus non sustinentibus, nisi per dolum & culpam suspectum; planè non, vel tardè removerunt, & suspicionis causam agendo, sua sponte jura pupilli prodiderunt l. 2. C. de div. tut. vel ex mutuo tutorum consensu, & tunc singuli in solidum conveniri possunt l. fin. C. eod.

XXXII.

Quæ hæcenus diximus de tutela constituenda & administranda, ob maximam affinitatem, quam cura cum tutela habet, pleraq; etiam obtinent in cura. Nonnullis tamen differunt. 1. In Tutela sunt impuberes, in Cura vero sunt puberes. 2. Tutela principaliter spectat ad personam pupilli, Cura ad bona seu Res minoris. 3. Pupilli etiam in-

viti

viti sunt in tutela; Puberes verò in Cura non nisi volentes, Curator tamen in vitis ipsis dari potest, quia legitimam personam standi in iudicio non habent, l. 2. C. *Qui legit. p. r. s. stand. in iud.* 4. Cura versari potest circa singularia negotia, l. 8. *Rem pup. salv.* Tutela personæ datur, §. 4. *J. Qui test. tut. dar.* & ad universum patrimonium §. 17. *J. d. Excus. tut.* 5. Habenti tutorem datur Curator, non autem tutor, nisi testamentariam habeat, qui nondum administrat, aut nisi administrans impeditur plenario impedimento, à quo non est regressus ad tutelam. vid. r. t. *J. de Curat.* Qui verò tutorem legitimum habet, nondum tamen administrantem, in locum ejus Curator interim dabitur. l. n. §. 7. *de Excusat.*

### XXXIII.

Contraria tutelæ sunt quibus tutela suscipienda vel impeditur, vel quibus suscepta omnino finitur. Impeditur, si quis justas tutelæ habet excusationes, (utens enim falsis causarum allegationibus ab onere tutelæ vel curæ non liberatur, imò periculum etiam administrationis ad ipsum pertinet, ex quo tempore datus est l. 1. & r. t. C. *si tut. fals. alleg.*) idq; fit vel in partem l. 2. n. C. *de Excus. tut.* vel in totum, ut ex causis ordine relatis in tit. *Inst. ff. & C. de Excus. tut.* Non solum autem testamentarii & dativi, sed & legitimi hisce excusationibus uti possunt, §. 16. *J. de Excus. tut. l. 3.* §. 8. *de legit. tut. l. 9. C. Qui dar. tut.* Literarum autem imperitus non simpliciter, sed si expertus etiam negotiorum, excusatur §. 8. *J. h. t. l. 6. §. fin. ff. eod.*

### XXXIV.

Qui autem se possunt excusare, statim appellare non tenentur, §. 16. *J. d. Excus. tut. l. 13. pr. ff. l. 18. C. eod.* sed causas excusandi intra tempora excusationibus præstita i. e. 50. dies (si longinquitas itineris plus temporis requirit) proponunt & allegant d. §. 16. *J. d. l. 13. l. 8. C. eod.* Totum autem negotium intra quatuor menses peragendum est l. 38. *ff. de Excus.* ita tamen ut excusationibus non admissis, adhuc appellare liceat l. 13. *pr. ff. de Excus. l. 1. §. 1. ff. Quando appell.*

### XXXV.

Finitur tutela vel speciatim quoad tutelam simpliciter 1. Pubertate, quæ in masculis 14. in fœminis 12. anno æstimatur *pr. J. h. t. 2.* E-ventu conditionis appositæ, vel certi temporis §. 2. & 5. *eod. l. 14. §. 3. ff. de tutel.* Vel communiter quoad tutelam & curam simul, 1. Ex-

partē utriusq; tam pupilli & tutoris, quā minoris & curatoris, morte vera vel quasi, puta maxima vel media capitis diminutione interveniente §. 3. & 4. eod. l. 14. ff. de tutel. vel minima in tutela saltem legitima §. 4. h. t. Morte tamen pupilli vel minoris, periculum tutelæ nihilominus ad tutores vel Curatores pertinet, Bocer. per l. 60. in pr. d. R. N. 2. Respectu pupilli & minoris minima capitis diminutione §. 4. h. t. 3. Suspecti remotione §. ult. d. t. quæ ex L. 12. tab. descendit pr. Inst. de Susp. tut.

### XXXVI.

Suspectus dicitur qui non ex fide gerit tutelam §. 5. 3. h. t. vel qui his moribus præditus, ut in suspicionem veniat fraudulenter & perperam administratæ tutelæ d. §. 5. & ult. eod. l. 8. ff. eod. & non tantum testamentarii, sed etiam legitimi & dativi possunt suspecti fieri l. 1. §. 5. eod. Aliquando suspectis integrâ famâ adjungitur Curator l. 9. de Susp. tut.

### XXXVII.

Ob solam autem paupertatem tutor ut suspectus removeri non potest §. ult. l. de susp. tut. sed fideli ac diligenti Curator adjungendus est l. 6. C. de susp. tut. quia non ex divitiis & facultatibus: sed ex fide idoneus est æstimandus l. 112. in fin. ff. d. V. O. si vero ob paupertatem planè impar sit oneri, removeri quidem potest: sed non ut suspectus l. 2. C. de tut. vel cur. qui satis non ded.

### XXXVIII.

Potestas autem de suspectis cognoscendi, & suspectos removendi, Romæ olim Prætori & in provinciis Præsidi & Legato Proconsulis velut jure Magistratus competiit, ac mandari potuit l. 4. pr. ff. de offic. ejus cui mandat. Jurisd. §. 1. l. de suspect. tut. l. 1. §. 3. & 4. ff. eod. Hodie certum est, quosvis Magistratus qui dant tutores, de suspectis etiam cognoscendi jus habere, Schneidvv. ad §. 1. d. susp. tut. suspecti verò ut removeantur, coram Magistratu postulandi sunt, eos autem postulare omnibus licet, tam masculis quam fæminis, modo de necessitudine quâdam aut pietate ductis §. 3. l. 1. §. 7. ff. eod. Quin & Magistratus ipse, nullo postulante, manifestè suspectum, ex officio, ob favorem pupillorum removeere potest l. 3. §. 4. eod.

### XXXIX.

Suspectus autem remotus, si quidem ob dolum famosus est, non æque si ob culpam, latam sc. Nam ob hanc suspectum quem postulare posse constat ex l. 7. §. 1. ff. h. t. adde Vvesemb. ad parat ff. n. s. h. t. Schneidvv.

Schneidvv. ad §. 6. n. 2. eod. Borch. ad §. ult. 1. eod. Ungeb. exercit. 4. quæst. 17. in Nego. Nonnunquam etiam remittuntur ad Præfectum Urbis, ut gravius puniantur, §. 10. 11. l. h. t. l. 1. §. 7. ff. de offi. præfecti. Urb. l. 2. 3. §. 15. ff. h. t.

XL.

Tandem tutelâ finitâ, Judicio tutelæ tutores rationes reddere tenentur §. ult. 1. de Atti. tut. quas hodie singulis annis ex Constit. Polit. Carol. V. in Comitibus August. 1548. lata, tit. Von der Pupillen 16. §. Item das er nach/ postulantē Magistratu, reddere tenentur.

XL I.

Remedia juris, quæ puberibus adversus tutores competunt sunt Actio tutelæ directâ, & actio de rationibus distrahendis l. 1. §. 21. & 11. de tutel. & rat. distrab. illa competit pupillis vel adultis eorumq; heredibus contra tutores ipsorumq; heredes l. 1. §. 16. 17. ff. d. t. ut rationes reddant, & quicquid dolo vel lata aut levi culpa abest commodi, vel adest damni, restituant. & refarciant l. 1. pr. ff. de tut. & ration. distrab. l. 46. §. 5. de admin. tut. l. 6. 7. C. Arbitr. tut. Hæc datur adversus tutores de iis rebus quæ durante tutela ex bonis pupilli ablatae sunt l. 1. §. pen. l. 2. ff. de tut. & rat. distrab. hæc pænalis est. datur enim in duplum d. l. 1. §. pen. Cui tamen rei persecutio inest, l. 2. §. 2. d. t. Aliquando & aliæ actiones competunt, locumq; habent constante tutela, utpote furti, damni, injuriæ l. 9. §. ult. l. 1. §. 22. eod.

XLII.

Notandum, si plures sint tutores, varie eos conveniri posse, vide Thes. 31. imo & quatuor ipsis competere beneficia juris, 1. si unus gessit, competit eis beneficium ordinis sive excussionis, cujus vigore ipse & ejus fidejussor conveniendus, & executiendus est l. 2. C. si tut. vel cur. non gessit l. ult. C. de divid. tut. 2. Competit iis beneficium divisionis l. 1. §. 11. & 12. ff. de tut. & rat. distrab. l. 38. pr. §. 1. admin. tut. 3. Beneficium cedendarum actionum l. 1. §. 18. ff. de tut. & rat. distr. l. 2. in fin. C. de divid. tut. l. 6. C. Arbitr. tut. Eoq; omisso 4. competit beneficium utilis actionis contra collegam accommodatum l. 1. §. 13. ff. de tutel. & rat. distr. l. 2. C. de Contrar. jud. tut. Bachov. ad Tul. V. 2. Disp. 9. th. 5. lit. b.

XLIII.

Competit quoq; actio ex stipulatu contra fidejussores, si tutores pupillis non sint solvendo l. 4. §. 2. Rem pup. salv. for. item Hypothecaria in bonis tutoris l. 20. C. de Adm. tut. tutoribus autem & eorum fidejussor-



de iussoribus solvendo non existentibus, Magistratus ob id sc. quod satisfactionem exigere, vel circa eam adhibere aliquam curam debuerit l. 1. C. de Mag. conv. sive tutoris dandi jus habuerit sive non l. 1. §. 1. & seqq. ff. de Mag. conv. l. pen. C. eod. heredesq; eorum actione subsidiaria conveniuntur §. 2. l. de satis d. tut. distinguendo inter levem & la-  
tam culpam l. 2. C. de Mag. conv. l. 4. §. 6. ff. eod.

XLI V.

Ne autem tutori officium suum, quod etiam invitus suscipere compelli potest, sit damnosum, contra l. 7. ff. testam. quemadmodum aperit, pro indemnitate sua, & ad consequendum id, quod ipsi abest vel abfuturum est, Actio tutelæ contraria prodita est l. 1. pr. de contrar. act. tut. quæ competit finito tutoris officio, tutoribus adversus pupillum d. l. pr. §. 3. etiam remotis l. 4. ff. eod., non tamen cum eodem privilegio hypothecæ, quod in rebus tutoris pupillus ipso jure habet l. 20. C. de adm. tut. Usuras vero pecuniæ in usus pupilli expensæ, hac actione consequitur l. 3. §. 4. ff. de contra action. tut. nisi ipse sibi mature solvere potuerit l. 4. §. 4. & 5. de adm. tut. Præterea etiam Litis sumptuum nomine pupillus eâ tenetur, licet tutor iudicio victus fuerit, & eventum adversum habuerit id, quod gestum est, si modo bonâ fide litigaverit l.

33. §. ult. ff. de adm. & peric. tut. l. 3. §. 7. ff. de contrar. tut. act. VVesemb. parat de Contrar. tut. act.

Μόνη τῶ Θεῷ ἢ Δόξῃ.

Ad Dn. Respondentem

HENRICUM WITTEMEIERN

Quæ de TUTELIS proponis Lemmata, cultam.  
Vim genii, vires ingeniiq; docent.  
Egregius labor est coluisse fideliter artes;  
Eximiumq; decus, Juris in arte mori.  
Ergo perge bonis studiis impendere curas:  
Et fac sementem Juris in atte probam.  
Larga tibi veniet dulci cum fœnore messis.  
Tuq; metes felix, MESSOR & ALBUS eris.

Scrib.

PRÆSES.

**P**erge tuis studiis faustum superaddere finem  
Et tibi præfixum deproperare scopum  
Perge tui ingenii plures producere sætus  
Inde tuæ testes sedulitatis habes,  
Tempus erit Musis te quando litasse jurabit  
Quando Tibi Phæbus digna brabeja feret.

Amicæ gratulationis causa  
f.

Henricus Colbius.

Ad Ornatissimum ac Literatissimum

DN. RESPONDENTEM.

**E**decumata Themis caput exerit, atq; triumphat,  
Te veritatis vindice,  
Scande theatra tuæ Christo duce & auspice famæ  
Ipsam perennes masculè.

Deprop.

Johannes Vasmer, Hannoveranus.

**N**unquam doctrinæ, nunquam Phæbeia virtus  
Gaudet in occultis deliruisse jugis  
Atq; amat apricos semper conscendere colles,  
Atq; palam famæ reddere signa sua.  
Tu non stultitiæ latebras, sed aperta Cathedræ  
Scamna animo forti scandere ritè paras.  
Sic verum serves, ac omnia falsa refutes,  
Pergas & famæ velificare tuæ.

L. mqs

Volrad Wedeman.

**Q**uantus sis Themidos Cultor, quantusve sacrati  
Codicis, hoc ausu tradis, Amice, tuo.

Perge

Perge ita, victrici cingentur tempora lauru;  
Sic decus & seræ posteritatis eris.

*Doctiss. Dn. Respond. gratulab.  
deproperabat*

Christian Hinrich Stüerck.

---

**A**gredi tenta Themidos sacrata  
Maße conatu & dubitare nolis,  
Quin Themis largo veneranda cornu  
Præmia reddat:  
Currere ad metam properans beatam,  
Perge, doctrinâq; onerare mentem;  
Hoc tibi famam stabilemq; honorem  
Conciliabit.

*Paucula hæc proper: calam: L. mq; apposuit*

Adamus Henricus ab Deseden/  
Gufr: Megap.

---

**Q**ualis, amice, scio, & quis sis, age pectus in hostem  
Fer firmum constans vir, irrita tela resultent.  
Fallor an hæc aliquam laudem tibi pugna parabit?  
Non fallor testis Themis ipsa videbis acervum.  
Telorum ingentem, tu stabis in omne paratus  
Seu jugulare dolor, seu veræ accedere causæ.

*Hæc posuit recordationis causa*

Justus Wiefenhafern,  
L. L. Stud.


---

**Q**uam fueris juris studiosus, id ipse tueris  
Hoc de Tutela thema tuendo tuum.  
Faxit Jova potens, justî tutamen & æqui,  
In patria juris Tutor, ut esse queas.


*Benevolentix testandæ causa adjecit*

Cuno Paris Hahn/

☉(o)☉







the scale towards document

Puberes verò in Cura non nisi volentes, Curator dari potest, quia legitimam personam standi in iudicio. *Qui legit. p. r. s. stand. in iud.* 4. Cura versari potest gotia, l. 8. *Rem pup. salv.* Tutela personæ datur, dar. & ad universum patrimonium §. 17. *J. d. Ex.* ti tutorem datur Curator, non autem tutor, nisi teat, qui nondum administrat, aut nisi administrans impedimento, à quo non est regressus ad tutelam. Qui verò tutorem legitimum habet, nondum tam, in locum ejus Curator interim dabitur. l. n. §.

XXXIII.

tela sunt quibus tutela suscipienda vel impeditur, omnino finitur. Impeditur, si quis justas tutela, (utens enim falsis causarum allegationibus ab one- on liberatur, imò periculum etiam administrationis ex quo tempore datus est l. 1. & t. i. C. si tut. fals. alleg.) m l. 2. n. C. de Excus. tut. vel in totum, ut ex causis Inst. ff. & C. de Excus. tut. Non solum autem testa ed & legitimi hisce excusationibus uti possunt, §. 16. §. 8. de legit. tut. l. 9. C. Qui dar. tut. Literarum au- simpliciter, sed si expers etiam negotiorum, excu- §. fin. ff. eod.

XXXIV.

possunt exculare, statim appellare non tenentur, l. 13. pr. ff. l. 18. C. eod. sed causas excusandi intra nibus præstita i. e. 50. dies (si longinquitas itineris rit) proponunt & allegant d. §. 16. *J. d. l. 13. l. 8. C.* negotium intra quatuor menses peragendum est tamen ut excusationibus non admissis, adhuc ap- ff. de Excus. l. 1. §. 1. ff. Quando appell.

XXXV.

vel speciatim quoad tutelam simpliciter 1. Puber- s 14. in fœminis 12. anno æstimatur pr. *J. b. r. 2. E-* opositæ, vel certitemporis §. 2. & 5. eod. l. 14. §. 3. mmuniter quoad tutelam & curam simul. 1. Ex-

B 2

parte